DE ‚DUM' PARTICULAE USU APUD TERENTIUM ET IN RELIQUIIS TRAGICORUM ET COMICORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OTTO BOETTGER
SAXO-BORUSSUS.

HALIS SAX.
FORMIS HENDELIIS.
MDCCCLXXXVII.

Postquam Elstius dissertatione[1]; ,De ,dum' particulae usu Plautino' diligentissime et accuratissime demonstravit, qui esset usus illius particulae apud Plautum, animum induxi pro mea parte quaerere, quomodo ceteri poëtae scaenici priscae latinitatis ,dum' usurpaverint. Quare fabulas Terentii et eas reliquias, quae supersunt ex priscorum poëtarum comoediis et tragoediis, perscrutatus atque Elstii rationem secutus exempla *indicativi* et *conjunctivi* post ,dum' positi collegi et quae esset differentia inter hujusmodi exempla inquirere conatus sum. Sed ante omnia aptum videtur esse, paucis verbis comprehendere, quae grammatici de significationibus particulae ,dum' docuerint.

1.

De significationibus particulae ,dum'.[2]

Prima notio particulae ,dum' est „während", qua significatur id temporis spatium, quod duae res simul occupant. Nam interea, quum altera agatur, altera etiam agi dicitur.

Deinde ,dum' significat „so lange als", quo ambitus alicujus rei definitur per tempus alterius rei.

Tertia significatio est „bis", quae exsistit, quum terminus, ad quem aliquid produci dicitur, finem in se habet, aut id indicat, quo quis de consilio tendit.

Postremo particulae notione „wenn nur" exprimitur condicio concedendae rei restringens.

Est igitur nobis propositum quaerere, quibus locis hae, quas dixi, significationes particulae ,dum' apud Terentium et in reliquiis poësis scaenicae inveniantur et quae sit differentia inter exempla *indicativi* post ,dum' positi et *conjunctivi*. Prius-

[1] Dissertatio inauguralis Halis Saxonum MDCCCLXXXII.

[2] vide Kuehner: Ausführl. Gram. d. lat. Spr. II, p. 908 sq. et p. 961 sq. Draeger: Histor. Syntax p. 604 sq. et 761 sq. Hand: Tursell II, p. 303 sq. Holtze: Syntax. prisc. script. Lat.. II, p. 127 sq.

quam autem exempla ipsa tractemus, consentaneum esse videtur, enumerare, quot locis singulae notiones particulae ‚dum‘ exstent et quae adverbia illam antecedant.

2.

De constructione particulae ‚dum‘ apud Terentium et in reliquiis tragicorum et comicorum.

Comparantibus indicativi et conjunctivi exempla apparet, indicativum longe superare. Nam is apud Terentium post ‚dum‘ *octoginta uno*, in reliquiis poësis scaenicae *quindecim* locis positus est; conjunctivus autem apud illum *viginti quinque,* in reliquiis *septem* locis invenitur.

Inter indicativi exempla *praesentis* indicativus tantopere cetera tempora superat, ut *septuaginta quattuor* locis inveniatur, haec *viginti duobus* locis exstent.

Deinde spectemus, quot locis singulae particulae notiones indicativum et conjunctivum post se habeant.

‚Dum‘ notione „während“ exstat cum indicativo *quadraginta septem* locis, cum conjunctivo *uno* loco.

Ubi particula valet „so lange als“, *triginta septem* locis cum indicativo, *septem* locis cum conjunctivo conjuncta est.

Particula significante „bis“ *duodecim* indicativi, *octo* conjunctivi exempla inveniuntur.

Ubi significationem praebet „wenn nur“, *sedecies* conjunctivus exstat.

Qua in enumeratione non habui rationem quattuor locorum, quibus ‚modo‘ solum vel ‚modo ut‘ pro ‚dum modo exstat. Eun. V, 2, 51; Heaut. V, 2, 28; — And. II, 4, 6; Pho. I, 2, 9. Praeterea neglexi Pho. III, 2, 41 ‚dum ob rem‘, ubi verbum in enuntiatione temporali omissum est, sed facile ex sententiarum nexu suppleri potest (‚fiat‘).

Huc accedunt duo fragmenta Dec. Lab. 57 et Caec. Stat. 275, quae deficientibus verbis mutilata sunt; deinde Att. 395, ubi ‚dum‘ — ‚dum‘ idem est ac ‚modo‘ — ‚modo‘; postremo Afran. 373, ubi particula bis posita ad unum praedicatum pertinet, quare alterius rationem non habui.

3.

De adverbiis particulam ,dum' apud Terentium et in fragmentis scaenicae Romanorum poësis antecedentibus.

Adverbia, quae particulam ,dum' apud Terentium et cet. antecedunt, sunt haec:

Interea (sexies), *nunc* (ter), *tantisper* (ter), *interea loci* (bis); *interea usque, usque dudum, usque adeo, usque, nunquam, antea, parumper, semper, interim* — singulis locis inveniuntur.

Ex quibus, particula ,dum' valente „während", bis exstat

interea loci Eun. II, 2, 24. Heaut. II, 3, 16.

Ubi ,dum' significat „so lange als"

tantisper — Ad. I, 1, 45. Heaut. I, 1, 55 ib. I, 1, 96.
nunquam — Ad. II. 1, 3.
antea — And. I, 1, 27.
interea usque — Heaut. I, 1, 84.
usque dudum — Heaut. V, 2, 30.
usque — Pho. V, 9, 41.
usque adeo — Eun. IV, 6, 4.
semper — Heaut. V, 1, 78.
interim — Pomp. Bon. 190.

Ubi particula vim habet „bis," solum invenitur

parumper — And. IV, 2, 31.

Deinde exstat ,*interea*' in omnibus ,dum' particulae notionibus, idque, ubi ,dum' significat „bis", tribus locis, ubi valet „während", duobus locis, uno loco significationem „so lange als" praebet: Eun. V, 2, 55. Heaut. IV, 7, 5. Ad. V, 2, 10. — Eun. III, 5, 44. Heaut. II, 3, 1. — Inc. inc. fab. 169.

Postremo *nunc* invenitur, ,dum' particula notante „so lange als," And. III, 4, 18. Ad. I, 2, 28; ,dum' significante „bis" Heaut. III, 2, 32.

Praeterea tempus nonnullis locis accuratius notatur praemissis temporum definitionibus:

menses decem — Ad. IV, 5, 57.
cotidiana cura — Pho. I, 3, 9.
totum diem — Hec. V, 3, 3.
abiit hora — Eun. II, 3, 50.
annus est — Heaut. II, 2, 11.

hac nocte — Heaut. III, 1, 83.
hodie — Hec. V, 3, 5.

His locis particula valet „während". ‚Dum' notante „bis" inveniuntur

aliquot dies — And. II, 1, 29.
triduum hoc — Pho. III, 2, 27.
unus dies — Heaut. IV, 3, 39.

In temporali enuntiato ipso exstant

interea — Pho. I, 2, 41; *interim* — Eun. V, 2, 4. — utroque loco particula significat „während". Quibus rebus praemissis ad propositum veniamus.

A.

De ,dum' particula cum indicativo conjuncta.

Cap. I.

De ,dum' particulae notione „während".[1]

Particula ,dum' significante „während" omnino *quadraginta septem* exempla inveniuntur, in quibus *fere omnibus praesens* exstat, *uno* loco excepto, ubi *perfectum* positum est.

Praesens tantopere praeponderare, ex ejus ratione efficitur, cum non modo usurpetur de actionibus praesentibus, sed etiam de praeteritis aut futuris, si hae actiones animo ejus, qui loquitur et ejus, qui audit, tanquam praesentes repraesentantur.[2]

I. Initium faciamus ab iis, in quibus *praesens* exstat et tractemus

a) ea, quibus agitur de rebus praesentibus.

Primum consideremus duo exempla, quibus enarratur aliquid, quod comprobatur usu vitaque communi.

Pho. V, 2, 2 ,Nostrapte culpa facimus, ut malis expediat esse, Dum nimium dici nos bonos studemus et benignos.' Heaut. II, 2, 11 ,nosti mores mulierum, Dum moliuntur, dum conantur, annus est.' Pro ,conantur' priscae editiones habent ,comuntur' sequentes codicem Parisinum et Servium in Aen. IV, 153. Sed Bembinus et Victorianus praebent ,conantur', quae lectio ob auctoritatem codicum et ob sententiam loci videtur praeferenda. Nam ,conari' synonymum est verbi ,moliri', hoc autem discrimine, ut ,moliri' operis suscepti magnitudinem et difficultatem spectet, ,conari' significet vim gravitatemque consilii.[3] Utrumque verbum hoc loco absolute est

---

[1] vide Kuehner l. c. II, p. 908; Draeger l. c. II, p. 604; Holtze l. c. II, p. 127; Hand l. c. II, p 303 sq. sq.

[2] vide Holtze l. c. p. 61; Kuehner l. c. p. 86 sq. sq.

[3] vide Doederlein Lateinische Synonyme III, p. 295.

dictum, qui usus haud ita saepe invenitur. ‚Conari' absolute usurpatum est And. IV, 1, 53 ‚hoc tibi pro servitio debeo, Conari manibus, pedibus, noctesque et dies' etc. Pho. I, 2, 2 ‚At ego obviam conabar tibi'; ‚moliri' exstat Plaut. Curc. I, 3, 32 ‚Viden', ut misere moliuntur'? Cic. Verr. II, 4, 43 ‚Hora amplius jam in demoliendo signo moliebantur.' Quod Donnerus contra ceteros interpretes ‚dum' vertit „bis", mihi non probatur. Nam poëta dicere vult, mulieribus in apparando ‚annum' id est ‚longum tempus' praeterire. Conf. Ad. V, 7, 2 ‚in apparando consumunt diem'. Eleganter eam enuntiationem dictam esse notat Bentlejus: ‚dum iturae sunt et non eunt, dum movent, sed nihil promovent.' — Similis est locus Plaut. Stich. V, 4, 19 ‚Sed amica mea et tua dum comit, dum se et exornat, nos volo Tamen ludere inter nos.'

Deinde habemus Eun. V, 4, 12 ‚Quae dum foris sunt, nihil videtur mundius'. Pho. II, 2, 27 ‚Dum tibi fit, quod placeat, ille ringitur'. ‚Dum tibi sit', quod Donatus cum nonnullis codicibus recentioribus praebet, jure ab editoribus librarii corruptela habita est. ‚Fieri' proprium esse verbum in conviviis, cum deliciae instruuntur, notat Ruhnkenius. cf. Petr. c. 26 p. 92 ‚nescitis, hodie apud quem fiat'? Ad. V, 7, 1 ‚Occidunt me quidem, dum nimis sanctas nuptias Student facere'. Caec. Stat. 147 ‚Dum ejus mortem inhio, egomet vivo inter vivos mortuus'. Att. 345 . . ‚nam ea oblectat spes aerumnosum hospitem . . . dum id, quod miser est, clam censet esse alteros'.

In his locis primaria quoque enuntiatio *praesentis* est temporis. Conjunctivus *imperfecti* in enuntiato principali invenitur Pho. I, 3, 9 ‚At non cotidiana cura haec angeret animum . . Dum exspecto, quam mox veniat, qui hanc mihi adimat aegritudinem'. Quo loco conjunctivo vim subesse irrealem apparet. Potuit a poëta modus enuntiati temporalis attrahi ad irrealem modum enuntiationis principalis, ut diceretur: ‚cura . . . non angeret, dum exspectarem'. Sed sermonis incitatio efficit, ut illa solvatur a propositione principali. Idem cadit in locum sequentem, ubi conjunctivus pendens a particula ‚ut' exstat. Ad. III, 2, 14 ‚Nihil est, quod malim, quam illam totam familiam dari mihi obviam, Ut ego hanc iram in eos evomam omnem, dum aegritudo haec est recens'.

Perfectum in principali enuntiatione invenitur quattuor locis.

Heaut. II, 3, 1 ‚interea, dum sermones caedimus, Illae sunt relictae' — etiam tum, cum illae nondum adsunt, sermones caedunt. Eun. IV, 6, 7 ‚dum tibi sororem studeo Reddere, haec atque hujusmodi sum multa passa'. Quo loco ‚studeo' non est accipiendum pro simplici praesenti historico; nam Thais hoc significat, se etiam nunc studere.[1] Eun. V, 4, 28 ‚Perdidisti istum adolescentulum, Dum studes dare verba nobis'. Etiam hoc momento, quo Pythias eum appellat, Parmeno decipere studet. Pho. I, 2, 26 ‚Seni fidelis dum sum, scapulas perdidi'. — Geta seni fidelis semper fuit et est adhuc fidelis, cum haec verba fiunt.

Idem subjectum in utroque enuntiato exstat *sexies:* Pho. V, 2, 2. Ad. V, 7, 1. Caec. 147. Eun. IV, 6, 7. ib. V, 4, 28. Pho. I, 2, 26. — diversum invenimus *octies:* Eun. V, 4, 12. Heaut. II. 2, 11 (ubi particula bis est posita). Pho. I, 3, 9. ib. II, 2, 27. Ad. III, 2, 14. Heaut. II, 3, 1. Att. 345.

b) Deinde hanc particulam cum praesentis indicativo conjunctam videmus in iis exemplis, ubi actiones aut *praeteritae* aut *futurae* significantur.

1. Pro vero perfecto praesens, quod dicitur historicum, usurpatur locis *viginti septem.* In enuntiationibus primariis horum locorum partim exstat *perfectum,* partim *praesens historicum,* uno loco *imperfectum.*

α) Incipiamus ab iis, ubi *praesens historicum* invenitur.

Eun. II, 2, 24 ‚Dum haec loquimur, interea loci ad macellum, ubi adventamus, Concurrunt'. ib. II, 3, 37 ‚is, dum hanc sequor, fit mihi obviam. ib. III, 5, 35 ‚dum apparatur, virgo in conclavi sedet'. ib. III, 5, 44 ‚Dum haec mecum reputo, accersitur lavatum interea virgo'. ib. V, 2, 4 ‚interim, Dum ante ostium sto, notus mihi quidam obviam Venit'. ‚Venit' hoc loco pro praesenti historico habendum puto, cum servus vivaciter narret, quid sibi contigerit. Pho. I, 2, 41 ‚Interea, dum sedemus illi, intervenit Adulescens quidam lacrumans'. Hec. per. 10 ‚dum se purgat Bacchis, anulum Mater vitiatae forte agnoscit Myrrhina'. Hec. V, 3, 31 ‚Dicitque, se illi anulum, dum luctat, detraxisse'.

β) *Perfectum* in primariis enuntiationibus eorum exemplorum exstat, quae sequuntur:

---

[1] vide Holtze l. c. II, 6 8.

And. V, 1, 3 ‚Dum studeo obsequi tibi, paene illusi vitam filiae'. Eun. II, 3, 50 ‚Dum haec dicit, abiit hora'. Ceteri libri praeter Bembinum ‚dum haec loquitur' — fortasse ob locum antecedentem ib II, 2, 24 ‚dum haec loquimur'; — ad metrum nihil attinet. ib. IV, 2, 1 ‚Dum rus eo, coepi egomet mecum cogitare'. ib. IV, 2, 4 ‚dum haec puto, Praeterii imprudens villam'. Bembinus praebet [re]‚puto', ‚re' addita correctura recenti, ceteri libri ‚reputo' quod peccat in metrum. Jam Donatus notat: ‚puto' est ἀφαίρεσις pro ‚reputo'. Neque hoc uno loco ‚puto' pro ‚reputo' invenimus. Ad. IV, 3, 10 ‚rem ipsam putemus'. Pl. Cas. III, 2, 25 ‚cum eam mecum rationem puto'. Virg. Aen. VI, 332 ‚constitit Anchisa satus — Multa putans'. — Heaut. prol. 17 ‚Nam quod rumores distulerunt malivoli, Multas contaminasse, dum facit paucas Latinas'. Heaut. II, 3, 16 ‚Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci Collocupletasti te'. ‚Interea loci' praeterea invenimus Eun. I, 2, 46. ib. II, 2, 24. Pl. Men. III, 1, 1. Truc. I, 1, 11. In omnibus his exemplis ‚locus' fere idem significat ac ‚tempus'. — ib. II, 3, 31 ‚hoc ipsa in itinere alterae Dum narrat, forte audivi'. ib. III, 1, 83 ‚Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis, Dum id quaero, tibi qui filium restituerem'.[1] ib. IV, 1, 42 ‚ea lavatum dum it, servandum mihi dedit'. Pho. V, 9, 18 ‚filiam Suscepit jam unam, dum tu dormis'. Hec. V, 3, 3 ‚frustra ubi totum desedi diem, Myconium hospitem dum exspecto'. Ad. IV, 2, 2 ‚Praeterea autem, dum illum quaero, a villa mercenarium vidi'. ib. IV, 5, 57 ‚haec dum dubitas, menses abierunt decem'. ib. V, 4, 14 ‚dum studeo illis, ut quam plurimum Facerem, contrivi. — Dec. Lab. 62 ‚Dum diutius retinetur, nostri oblitus est'. Sext. Turp. 149 ‚Quibus rem rebus dispoliasti, foede dum in lustris lates'. Tit. 29 ‚Terra haec est non aqua, ubi tu solitu's argutarier Pedibus, cretam dum compescis, vestimenta qui laves'. Cum Ribbeckio non habeo, quod in hoc loco, ut multi fecerunt editores, haeream.

Pomp. 190 ‚interim, Dum contemplor orcam . . . taxillos perdidi'. — Addam duos locos, quorum in altero enuntiatio primaria, in altero praeterea verbum enuntiationis secundariae

---

[1] Conjunctivus imperfecti ‚restituerem' hoc loco est positus, quod pendet a praesenti historico ‚quaero'. Idem cadit in Ad. V, 4, 14 infra.

deest. Dec. Lab. 57 ‚et dum populacia Agimus per ludum'. Caec. 275 et alias invenitur: ‚dum taeniam, qui volnus vinciret' — ‚petit' Aldina bene explet. Utrumque hunc locum ad tempus praeteritum pertinere probabile videtur.

γ) *Uno* loco Hec. V, 3, 5 in enuntiatione primaria invenitur *imperfectum*, positum de actionibus repetitis: ‚Itaque ineptus hodie, dum illi sedeo, ut quisque venerat. Accedebam.[1]

Idem in utraque enuntiatione subjectum legitur *sedecies:* Eun. II, 2, 24. Hec. V, 3, 31. And. V, 1, 3. Eun. IV, 2, 1. ib. IV, 2, 4. Heaut. prol. 17. ib. III, 1, 83. ib. IV, 1, 42. Hec. V, 3, 3. Ad. IV, 2, 2. ib. V, 4, 14. Dec. Lab. 62. Sext. Turp. 149. Titin. 29. Pomp. 190. Hec. V, 3, 5. Diversum exstat *undecies* ceteris locis, ut omittam illa enuntiata interrupta Dec. Lab. 57 et Caec. 275.

2. Pro futuro *praesentis* indicativus *quinque* locis invenitur: Eun. III, 5, 47 ‚Cape hoc flabellum, ventulum huic sic facito, dum lavamur'. Quo loco Holtzius l. c. II p. 68 explicat, praesenti tempore significari, utramque actionem cadere in idem tempus, quod sit longioris spatii. ib. IV, 6, 25 ‚Tu abi atque obsera ostium intus, dum ego hinc transcurro ad forum'. Hec. III, 3, 54 ‚aliquo mihi est Hinc ablegandus, dum parit Philumena'. ib. IV, 4, 103 ‚Sed vin adesse me una, dum istam convenis'? Caec. 226 ‚hic dum abit, huc concessero'. Quod futurum exactum ‚concessero' est illud, quod frequentissimum apud comicos actionis praemeditatae celerrimam ac veluti nunc ipsum jamjam effectam perfectionem significat.[2] Ad hunc locum confer Plaut. Most. III, 2, 157 ‚huc concessero, Dum mihi senatum consili in cor convoco'.

In enuntiatione primaria duobus locis *imperativus* invenitur, singulis locis *gerundivum* cum copula ‚esse' conjunctum, *futurum exactum activi, enuntiatum quoddam, unde futurum facile subaudiri potest.*

II. *Futurum* in enuntiatione secundaria, ‚dum' significante „während," apud Terentium et cet. non exstat.

---

[1] Exempli causa fiat mentio Enn. ann. XI, 365 (Vahlen), ubi in enuntiatione primaria exstat *plusquamperfectum:* ‚Missaque per pectus dum transit, striderat hasta'. cf. Elste p 9. Item confer Liv. XXI, 29, 1 ‚Dum elephanti trajiciuntur, interim Hannibal Numidas equites . . miserat'.

[2] vide Draeger l. c. II, p. 285 (ed I.)

Exempli causa affero Plaut. Truc. IV, 2, 24 ,dum tu commentabere, Volt ille itidem commentari'. Men. I, 3, 31 ,Jam hic nos erimus; dum coquetur, interim potabimus.[1]

III. *Perfectum* invenitur *uno loco* Sext. Turp. 173 ,Dum ego conixi somno, hic sibi prospexit vigilans virginem'. ,conixi somno' idem est ac ,dormio' et pro perfecto praesente, quod vocatur, habendum.[2]

Cap. II.

De ,dum' particulae notione „so lange als".[3]

Ab initio ipso commemorandum mihi videtur, in plerisque iis locis, quibus ,dum' significat „so lange als", enuntiationem temporalem idem verbi tempus praebere, atque enuntiatum principale.

Exempla omnino inveniuntur *triginta sex:*

I. *Indicativus praesentis* exstat *sedecim locis.*

Initium faciamus a duobus locis, quibus enuntiatur aliquid, quod comprobatur usu: And. I, 5, 31 ,Dum in dubio'st animus, paulo momento huc vel illuc impellitur'. Ad. I, 1, 45 ,Malo coactus, qui suum officium facit, Dum id rescitum iri credit, tantisper pavet'. Bembinus praebet ,pavet', quod retinent Umpfenbacchius, Fleckeisenius, Spengelius, Dziatzko, ceteri codices cum Donato ,cavet', probatum a Bentlejo, Handio Turs. II, 316, aliis. Utraque lectio praebet sensum idoneum, illa magis ad significationem timoris spectante, hac ad providentiam in evitandis periculis. Sed Bembini lectio est praeferenda, quod ,pavet' magis poëtae, ,cavet' magis docti hominis videtur inventum esse. Sequantur Pho. IV, 5, 4 ,matura, dum libido eadem haec manet'. Heaut. II, 4, 19 ,Nam dum abs te absum, omnes mihi labores fuere, quos cepi, leves'. ib. V, 2, 30 ,usque id egi dudum, dum loquitur pater'. Afran. 373 ,Dum me morigeram, dum morosam praebeo, Deinde aliquid dedita opera controversiae Concinno, laedo interdum contumeliis'. Hoc loco

---

[1] vide Elste l. c. p. 11.

[2] vide Elste l. c. p. 12.

[3] vide Kuehner l. c. II, p. 907. Draeger l. c. II, p. 602. Holtze l. c. II, p. 128 Hand Turs. II, p. 303. sq. sq.

ad particulam bis positam unum praedicatum pertinere, supra mentionem fecimus.

Hi sex loci in enuntiationibus primariis ter (And. I, 5, 31; Ad. I, 1, 45; Afran. 373.) *indicativum praesentis,* bis (Heaut II, 4, 19. ib. V, 2, 30.) *indicativum perfecti,* semel (Pho. IV, 5, 4.) *imperativum habent.*

Veniamus ad ea exempla, quorum enuntiationibus temporalibus contenditur, ea, quae principalibus enuntiationibus indicentur, eventum habere non posse, nisi intra illarum fines.

And. III, 3, 24 ‚Em, id te oro, ut ante eamus, dum tempus datur, Dumque ejus lubido occlusa'st contumeliis'. Ad ‚dum tempus datur' confer Plaut. Men. 552 ‚dum occasio tempusque datur'. ‚Occlusa est' est perfectum, quod dicitur logicum, ut infra And. III, 4, 18 ‚dum irritatus est'. — Eun. I, 1, 11 ‚Proin tu, dum est tempus, etiam atque etiam cogita'. Hec. V, 1, 20 ‚Quaere alium tibi firmiorem, dum tibi tempus consulendi est'. Heaut. II, 3, 104 ‚quod boni Datur, fruare, dum licet'. Ad. I, 2, 28 ‚et tu illum tuum, si esses homo, Sineres nunc facere, dum per aetatem licet, Potius quam ... post faceret tamen'. Pro ‚licet' in Victoriano et in quibusdam codicibus secundariis legitur ‚decet', ab editoribus non probatum; et id bene quidem; nam quae Demea patri suadet, ut sinat filium facere, sunt voluptates et libidines, quae quamquam ‚per aetatem' id est ‚per juventatem' *licere,* attamen nunquam *decere* possunt.

Pho. III, 3, 16 ‚Quin igitur, dum licet, dumque adsum, loquimini mecum, Antipho'. ‚Tum igitur, dum licet, dumque adsum' Bembinus habet copula ‚que' omissa, quam metri causa restituimus sequentes Victorianum et ceteros. Plurimi recentiores codices scribunt: ‚Dum igitur licet dumque adsum', quae lectio versui non commoda rejicienda est. Bentlejus autem pro ‚Dum' exstitisse ‚Quin' dicit, sequens Serv. ad Aen. IX, 484 ‚Quin igitur, dum licet dumque adsum'.

Quod erratum ille a ratione codices scribendi repetit: ‚In principio versus, ut in membranis solet, initiali litera omissa, ut minio postea scribatur, restat ‚um' ‚quod nescias utrum ad Dum, Tum, Cum an ad Quin pertineat'. Mihi autem re ipsa ‚Quin' praeferendum videtur esse. Nam ‚quin' ad vim cohortationis augendam imperativo praeponi solet. Quod in nostrum locum cadit. Nam Phaedria maxime irritatus animo, quod

leno Pamphilam ab ipso amatam vendere in animo haberet, exclamat, se eam aut persecuturum esse aut periturum. Quibus verbis ut majorem vim addat, antea affirmat ad sententiam magis illustrandam: ‚Quin igitur, dum licet dumque adsum, loquimini mecum ‚.. contemplamini me!' Conf. Sall. Cat. XX, 14 ‚Quin igitur expergiscimini!'

Duo alia exempla inveniuntur in fragmentis tragicorum: Inc. inc. fab. 29 ‚Proin demet abs te regimen Argos, dum est potestas consili'. ib. 47 ‚vive, Ulixes, dum licet'.

In enuntiatione secundaria ‚*dum licet*' legitur quater, semel cum ‚per aetatem' conjunctum, semel cum ‚dum adsum': Ad. I, 2, 28; Pho. III, 3, 16; Heaut. II, 3, 104; Inc. inc. fab. 47. — ‚*Dum tempus datur*' conjunctum cum ‚dumque ejus libido occlusa est' And. III, 3, 24. ‚*dum est tempus*' Eun. I, 1, 11. ‚*d. e. t. consulendi*' Hec. V, 1, 20. ‚*dum est potestas consili*' Inc. inc. 29.

II. *Futurum* exstat *octo* locis: Heaut. I, 1, 55 ‚Ego te meum esse dici tantisper volo, Dum, quod te dignum'st, facies' ib. I, 1, 84 ‚nam usque dum ille vitam illam colet Inopem carens patria ob meas injurias, Interea usque illi de me supplicium dabo'. Poëta ut vim elocutionis augeret, ‚usque' bis posuit ad ‚dum' et ad ‚interea'. ib. IV, 3, 36 ‚Nam dum amicam hanc meam esse credet, non committet filiam'. Pho. IV, 1, 17 ‚ille, si me alienus affinem volet, Tacebit, dum intercedet familiaritas'. Ad. I, 2, 38 ‚Dabitur a me argentum, dum erit commodum'. Qua de causa Holtzius l. c. II, p. 128 hoc loco ‚dum' vertat „während", difficile est ad intelligendum; nam ‚dum erit commodum' terminum, ad quem adolescenti argentum dabitur, significare apertum est. Quod comprobatur versu sequenti: ‚Ubi non erit, fortasse excludetur foras'. ib. II, 1, 3 ‚Nunquam, dum ego adero, hic te tanget'.

Ex fragmentis comicorum duo habemus exempla: Nov. 19 ‚Pati dum poterunt, antequam pugae pilant'. ib. 75 ‚dum istos invitabis suffragatores, pater, Prius in capulo, quam in curuli sella suspendes nates'.

In enuntiatis principalibus *sexies* legitur *futurum, semel* (Heaut. I, 1, 55) *accusativus cum infinitivo* pendens a ‚volo'; Nov. 19 deest enuntiatio primaria.

III. *Perfectum* invenitur *undecim* locis:

And. I, 2, 17 ‚Dum tempus ad eam rem tulit, sivi animum ut expleret suum'. Cum Ruhnkenio et editione Bipontina jungendum puto ‚tempus' et ‚ad eam rem' et interpretandum ‚dum tempus ejus rei idoneum passum est'. Similiter Eun. IV, 1, 7 legitur ‚ad eam rem (h. e. ejus rei) tempus non erat'. Ad ‚dum tempus tulit' conf. Hec. IV, 2, 18 ‚dum aetatis tempus tulit'; And. II, 6, 12 ‚dum aetas tulit; Heaut. IV, 1, 54 et Ad. V, 3, 53 ‚ita tempus fert'. Qua re Spengelius, qui enuntiatum temporale sic interpretatur: ‚Dum tempus (adolescentiae) eum ad eam rem tulit', errare mihi videtur. — ib. II, 6, 12 ‚dum licitumt'st ei dumque aetas tulit, Amavit.' ib. III, 4, 18 ‚potes nunc, dum animus irritatus est'. ‚dum' hoc loco cum perfecto, quod dicitur logicum, conjunctum est[1]. ib. V, 1, 13 ‚incepi, dum res tetulit'. Heaut. V, 2, 34 ‚Dum istis fuisti solus, dum nulla alia delectatio, Quae propior esset, te indulgebant, tibi dabant'. Post ‚delectatio' ex ‚fuisti' est supplendum ‚fuit', sed metri causa non est scribendum, ut in Bembino legimus. Hec. III, 5, 10 ‚Sane hercle homo voluptati obsequens Fuit, dum vixit' et versu sequenti ‚vixit, dum vixit, bene'. ib. IV, 2, 18 ‚Dum aetatis tempus tulit, perfuncta satis sum'. ib. V, 3, 39 ‚Ego dum illo licitum'st, usa sum benigno et lepido et comi'. In omnibus his exemplis primaria quoque enuntiatio *perfectum* praebet praeter Heaut. V, 2, 34, ubi *imperfectum* exstat.

Restant duo exempla, ubi ‚dum' notione „so lange als" cum *imperfecto*[2] conjunctum est: And. I, 1, 27 ‚nam antea Qui scire posses aut ingenium noscere, Dum aetas, metus, magister prohibebant'. Eun. IV, 5, 2 ‚Ad dum accubabam, quam videbar mihi pulchre esse sobrius'.

Cap. III.

De particulae ‚dum' notione „bis".[3]

Postremo dicendum est de iis locis, in quibus haec particula „bis" significat. Sunt omnino *duodecim* exempla. in

[1] vide Draeger l. c. II, p. 574 (ed. I.)

[2] cf. Plaut. Truc. I, 2, 63.

[3] vide Kuehner l. c. II. p. 912. Draeger l. c. II. p. 609. Holtze l. c. II. p. 129. Hand Turs. II. p. 319.

quibus omnibus *praesens* exstat[1], quamquam desideramus *futurum* vel *futurum exactum*.

And. II, 1, 29 ‚saltem aliquot dies Profer, dum proficiscor aliquo'. ib. IV, 2, 31 ‚Tu, Mysis, dum exeo, parumper opperire hic'. ‚dum exeo' id est ex Glycerii domo, in quam introiturus est. Codices nonnulli recentiores praebent: ‚opperire me hic', quod peccat in metri leges. Bembinus et Victorianus ‚me opperire hic', quod versui satisfacit. Attamen cum Bentlejo et Spengelio ‚me' ob incertam sedem ejiciendum puto; nam etiam in aliis satis multis exemplis ‚opperiri' absolute usurpatur. Conf. infra Eun. V, 2, 55 ‚opperiamur'; And. I, 4, 8 ‚opperiar, ut sciam'. Ante omnes vero locos: Plaut. Truc. I, 2, 106 ‚ego interim apud vos opperibŏr', ubi in manuscriptis praeter Ambrosianum interpretationis causa ‚te' pronomen ascriptum est. — Eun. I, 2, 126 ‚Concedam hinc intro atque exspectabo, dum venit'. ib. V, 2, 55 ‚Vin interea, dum venit, Domi opperiamur potius, quam hic ante ostium?' Heaut. IV, 3, 39 ‚Unus est dies, dum argentum eripio'. ib. IV, 7, 5 ‚Tu hic nos, dum eximus, interea opperibere'. Pho. III, 2, 27 ‚Nequeo exorare, ut me maneat et cum illo ut mutet fidem Triduum hoc, dum id, quod est promissum ab amicis, argentum aufero'. ‚Dum' pendet a verbis ‚ut me maneat'. ib. V, 8, 89 ‚Assequere ac retine, dum ego huc servos evoco'. Ad. II, 1, 42 ‚Delibera hoc, dum ego redeo'. ib. V, 2, 10 ‚quid ego nunc agam? Nisi dum hae silescunt turbae, interea in angulum Aliquo abeam'. Caec. 109 ‚Modo fit obsequens, hilaris, comis, Communis, concordis, dum id, quod petit, potitur'. Holtzius l. c. II, p. 128 hoc loco ‚dum' vertit „während", Elstius l. c. p. 28 adnot. significationem „bis" inesse opinatur. Cui assentior, nam poëta dicere vult, obsequentiae, hilaritati etc. finem impositum iri eo tempore, quo ille potitus sit id, quod petat. Pomp. 66 ‚Jam ego inibi adero: dum ego revortor, age, anus, accinge ad molas'.

In enuntiationibus principalibus horum exemplorum exstat *imperativus quinquies:* And. II, 1, 29 (‚profer'); ib. IV, 2, 31 (‚opperire'); Pho. V, 8, 89 (‚retine'); Ad. II, 1, 42 (‚delibera'); Pomp. 66 (accinge'); *ter conjunctivus:* Eun. V, 2, 55 pendens a

[1] Apud Plautum viginti duobus locis praesens, singulis futurum, futurum exactum, perfectum invenitur; vide Elste l. c. p. 18. sq.

verbo ‚velle' — ‚vin opperiamur'; Pho. III, 2, 27 pendens ab ‚ut' et verbo rogandi — ‚nequeo exorare, ut me maneat'. Ad. V, 2, 10 *conjunctivus dubitativus* pendens a ‚nisi' post interrogationem dubitativam. — ‚quid agam? nisi abeam';

bis futurum Eun. I, 2, 126 ‚exspectabo'. Heaut. IV, 7, 5 ‚opperibere'; *bis indicativus praesentis* minus diligenter pro futuro positus: Heaut. IV, 3, 39 ‚unus est dies', ubi tempus certum significatur. Caec. 109 ‚fit obsequens'.

B.

De particula ‚dum' cum conjunctivo conjuncta.

Quoniam priore dissertationis parte tractavimus, quibus locis post ‚dum' *indicativus* inveniatur, nunc videamus, quae *conjunctivi* exempla, particula et „während" et „so lange als" et „bis" notante, exstent.

Atque recentiores quidem grammatici [1] consentiunt, hunc conjunctivum inveniri in iis enuntiationibus, quibus *consilium* quoddam sive *exspectatio* subsit.

Cui sententiae adversantur non pauci loci, quibus *indicativus* est positus, quamquam aliquid *exspectari* significatur. Idcirco Elstius illum conjunctivi usum repetit a propria conjunctivi natura. Nam conjunctivus significat aliquid, quod conditione aliqua posita exstat sive fieri potest, ideoque incertum est; indicativus contra simpliciter exprimit, quod per se constat. Conjunctivum igitur positum esse ille contendit, et in iis locis, ubi quid *in mente agitari* exprimitur et in iis, ubi quid *exspectari* enuntiatur, ita, ut, num eventurum sit id, quod exspectatur, in medio relinquatur.

Qua de re Elstium recte judicasse, nos quoque exemplis quibusdam a Terentio petitis demonstrare studebimus: And. IV, 2, 31 Davus, qui puerum ex Glycerio natum ex ejus domo arcessiturus est, cum Mysi conservo dicit: ‚tu, Mysis, dum exeo, parumper opperire hic', pro certo reditum suum exspectandum esse demonstrat.

Contra Eun. III, 3, 29. Pythias, Thaidis meretricis apud Thrasonem militem epulantis ancilla, cum Chremeti seni Tha-

[1] vide Kuehner l. c. II, p. 913; Draeger l. c. II, p. 610; Hand Turs. II, p. 319.

idis domum introituro dicit: ,tu apud nos hic mane, Dum redeat ipsa' in medio relinquit, num reditura sit illa.

Idem pertinet ad Eun. I, 2, 126 ,exspectabo, dum venit et And. V, 6, 16 ,ne exspectetis, dum exeant'. — Pho. III, 2, 27 ,ut maneat, dum aufero' et III, 1, 16 ,mansurus est, dum adveniat' — alia.

Sed satis de hac re est dictum, nunc exempla ipsa tractemus ordine temporum servato, quae particulam sequuntur.

Cap. IV.

De ,dum' particula cum conjunctivo praesentis conjuncta.

Jam initium capiamus ab *uno* loco, cui

1. *consilium* subest. Pho. III, 1, 16 ,Mansurusque patruum pater est, dum huc adveniat'; — particula valet „bis".

2. *Quattuor* deinde locis significatur, aliquid exspectari, quod num eventurum sit, in medio relinquitur. And. V, 6, 13 ,atque adeo longum est, illum me exspectare, dum exeat'. ib. V, 6, 16 ,Ne exspectetis, dum exeant huc'.[1] Eun. III, 3, 29 ,At tu apud nos hic mane, Dum redeat ipsa.' Heaut. III, 2, 32 ,Et nunc quid exspectat, Syre? an dum hic denuo Abeat, cum tolerare illius sumptus non queat?'

3. *Conjunctivus,* qui dicitur *potentialis*, invenitur Heaut. V, 5, 14—15 ,haec dum incipias, gravia sunt, Dumque ignores: ubi cognoris, facilia'. Eun. IV, 6, 4 ,Usque adeo illius ferre possum ineptiam et magnifica verba, Verba dum sint'. vide Holtzium II, p. 182. Utroque loco ,dum' significat „so lange als."

4. In *oratione obliqua,* ,dum' valente „so lange als", legitur Heaut. I, 1, 96 ,Decrevi, tantisper me minus injuriae, Chremes, meo gnato facere, dum fiam miser.'

5. Sequitur Pho. V, 2, 5 ,etiam argentum'st ultro objectum, Ut sit, qui vivat, dum aliut aliquid flagiti conficiat', ubi conjunctivus ,conficiat' post ,dum' particulam „bis" significantem

---

[1] cf. finem Cistellariae Plautinae, ubi legitur; ,Ne exspectetis; dum illi huc ad vos veniant'.

ex *attractione* quadam *modorum* positus est, cum plures antecedant conjunctivi. Ad quod conf., quae Elstius p. 26 sq. dicit de Plaut. Poen. prol. 20 et Truc. II, 1, 21.

6. Postremo *tria* exempla consideremus, in quibus ‚dum' particulam „so lange als" notantem *praesentis conjunctivus* verbi *‚vivere'* sequitur. Pho. V, 9, 41 ‚Habet haec ei, quod, dum vivat, usque ad aurem ogganniat.' Ad. IV, 5, 47 ‚Ita velim me promerentem ames, dum vivas, mi pater, Ut me .. dolet'. Heaut. V, 1, 78 ‚Sed Syrum quidem egomet, si vivo, adeo exornatum dabo, Adeo depexum, ut, dum vivat, meminerit semper mei'. Victorianus cum quibusdam codicibus secundariis post ‚depexum' habet ‚usque', quo verbo versus ultra terminum excurrit. Idcirco Bentlejus ‚pexum' pro ‚depexum' scribit, — ‚usque ut dum vivat' ut supra Pho. V, 9, 41 ‚dum vivat usque'. — Sed cum editoribus plurimis lectionem Bembini praeferendam puto, ubi ‚usque' deest. De hoc conjunctivo verbi ‚vivere' post ‚dum' posito Elstius p. 27 bene dicit, id enuntiatum temporale esse levioris momenti, ita ut, utrum adjicias an omittas, paulum intersit, et ut facile particulis ‚semper' vel ‚usque' compensari possit. Recte ille quidem de gravitate verborum disputat; quare conjunctivus in hac verborum conjunctione usurpetur, non explicat.

Invenimus autem hunc conjunctivum omnibus et Plauti et Terentii locis conjunctum cum enuntiatis, in quibus verbum est positum forma conjunctivi, ita ut attractione quadam etiam illud enuntiatum conjunctivum usurpavisse putandum sit.

Cap. V.

De ‚dum' particula cum conjunctivo imperfecti conjuncta.

Conjunctivus imperfecti post ‚dum' legitur *tribus* locis:

Pho. I, 2, 40 ‚hic solebamus fere Plerumque eam opperiri, dum inde iret domum'. Ad. IV, 5, 39 ‚An sedere oportuit Domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc Illinc veniret! — Tertius locus huc pertinens ex Ennii Medea exule exstat Cic. de nat. deor. III, 26, 67, a Ribbeckio in tragicorum fragmentis ex inc. inc. fab. v. 169 proditus. In quo fragmento enarratur, Medeam e patria cum Jasone effugientem, cum Aeetes

pater eos persequeretur, fratrem parvulum obtruncasse et per agros passim corpus dispersisse ‚id ea gratia, Ut dum nati dissipatos artus captaret parens, Ipsa interea effugeret‘. Hoc loco conjunctivus post ‚dum‘ particulam „während“ significantem *attractione modorum et temporum* explicandus esse videtur. — Duobus prioribus locis *exspectatio* subest.[1]

[1] Exempli causa addam locum Plautinum, in quo *plusquamperfecti conjunctivus* legitur: Merc. I, 1, 78 ‚se . . . navem . . . Parasse atque ea se merces vectatum undique, Adeo dum, quae tum haberet, peperisset bona. vide Elste p. 28.

C.

De dum particulae notione „wenn nur".[1]

Postremo videamus de iis exemplis, in quibus ‚dum' particulae vis subest conditionalis, ubi nos vertimus „wenn nur". Kuehnerus hanc particulae notionem repetit ab eo usu temporali particulae, quo significetur terminus quidam propositus. Elstius autem p. 29 vim particulae „wenn nur" derivare mavult ex ea significatione, qua quid *tamdiu, quamdiu* aliud quiddam fiat, esse indicet. Uterque ad sententiam suam illustrandam exempla affert, ubi haud inepte particulam vertas „so lange als" aut „bis". Mihi autem hic usus non ex una notione particulae derivandus videtur esse. Illud quidem iis assentior, conditionem huic constructioni subesse, sed haec conditio semper optationem quandam continet, qua conjunctivus efficitur. Qua in re nihil refert, utrum in ea conjunctione insit notio „während", an „so lange als", an „bis".

Saepe ad ‚dum' vocabulum ‚modo' additur, quod ad optationem spectat; inde fit unum vocabulum ‚dummodo'; nec vero raro aliis verbis interpositis haec verba separantur; nonnumquam etiam ‚modo' solum, ‚dum' omisso, invenitur. In forma negativa ponitur negatio ‚ne'.

Sed ad exempla ipsa transeamus.

In enuntiationibus principalibus duorum locorum *conjunctivum potentialem* invenimus:

Ad. III, 2, 15 ‚Satis mihi id habeam supplici, dum illos ulciscar meo modo'. Codices ‚meo' omiserunt, quod Bothius restituit. Quod versus claudicet Bentlejus alterum hemistichium delet, Guyetus autem, quem Dziatzko sequitur, totum versum

---

[1] vide Kuehner l. c. II, p. 961 sq. Draeger l. c. II, p. 761 sq. Hand l. c. II, p. 324. sq. Holtze l. c. II, p. 130 et 183.

proscribit. Nam primo aspectu in hoc loco videtur inesse nimia quaedam continentia Getae, quae dissentit a minis antecedentibus et sequentibus. Ideo Madvigius in Adv. crit. II, p. 20 sq. proponit ‚solati' pro ‚supplici'. Haec lectio sensum praebet idoneum: Syrus enim dicit, id sibi satis solati daturum esse, dum noxios suo (formidoloso) modo ulciscatur. Dziatzko autem legi vult ‚Satis unum id habeam supplici' — ‚unam eam poenam satis futuram esse, dum' etc., quod a sensu loci non abhorret. At tamen cum Umpfenbacchio, Fleckeisenio, aliis praeter illud ‚meo' in verbis nihil corrigendum esse puto. Sed haud scio, an interpunctio mutanda et pro puncto post ‚modo' posito interpunctio levior ponenda videatur: Nam in versibus sequentibus Geta hunc suum puniendi modum describit et varia supplicia, quibus illos ulcisci velit, enumerat: ‚Seni animam primum exstinguerem ipsi, qui illud produxit scelus; Tum autem Syrum impulsorem, vah, quibus lacerarem modis'! etc.

Alter locus est Naev. 130 ‚quid si taceas? dum te videat, tam etiam sciat, Quid scriptum sit'.

Longe plurimis vero locis ea inest vis, ut, quae in enuntiationibus exstent primariis, nullius momenti neque magni aestimanda esse dicantur.

Quare saepius *conjunctivus*, qui dicitur *concessivus*, invenitur: Ad. II, 2, 16 ‚Age novi tuum animum: quasi jam usquam tibi sint viginti minae, Dum huic obsequare'. Qui locus sensum praebet idoneum, cum Donatum sequentes cum editoribus plurimis verba ‚quasi — sint' interpretamur ‚quasi numero in aliquo ducas et in aliqua aestimatione constituas'. Similiter Doederleinius in Synonymis I, p. 58 ‚nusquam esse' dicit esse idem ac ‚nullo loco numerari'. — Syrus cum alia via lenonem capere non possit, blanditiis eum aggreditur, quasi liberalis sit'.

Sequitur Afran. 410 ‚Dummodo doleat aliquid, doleat quidlubet'. Attius 202 Atreo illam vocem diram attribuit ‚oderint, dum metuant', cujus persaepe ab auctoribus mentio fit. Cui loco persimilis est enuntiatio, quae exstat in inc. inc. fab. 159 ‚Pereant amici, dum inimici una intercidant'.

Ad hunc conjunctivum concessivum adjungantur Eun. II, 3, 29 ‚me nihil refert, dum potiar modo'. Heaut. IV, 3, 37 ‚Tu fors, quid me fiat, parvi pendis, dum illi consulas'. Pomp. 152

,Ego rumorem parvi facio, dum sit rumen, qui impleam'. Heaut. IV, 1, 28 ,Quid vis satis est, dum vivat modo'.

Praeterea habemus And. IV, 1, 53 ,Ego, Pamphile, hoc tibi pro servitio debeo, Conari manibus pedibus noctesque et dies Capitis periculum adire, dum prosim tibi'. ib. V, 1, 6 ,Dum id efficias, quod cupis, Neque modum benignitatis, neque quid me ores, cogitas'. Heaut. III, 1, 57 ,Sumat, consumat, perdat, decretum'st pati, Dum illum modo habeam mecum'. Pacuv. 288 ,Nam me perbitere, illis opitularier Quovis exitio cupio, dum prosim'.

Huc pertinent duo exempla formae negativae. Hec. IV, 4, 12 ,Dum ne redducam, turbent porro, quam velint'. Bembini ,turbant' exemplo Victoriani et ceterorum codicum in ,turbent' mutandum esse apparet. And. V, 3, 31 ,Quidvis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar, Chremes'.

In utroque hoc exemplo negatio spectat ad totum enuntiatum. In enuntiatione primaria prioris loci conjunctivus concessivus exstat, posterioris loci enuntiationi principali rem subesse haud magni aestimatam facile subaudimus.

Plerisque locis ,dum' solum invenitur. Bis (Afran. 410 et Pomp. 152) ,dummodo' exstat, bis (Eun. II, 3, 29 et Heaut. IV, 1, 27) verba ,dum' et ,modo' aliis verbis interpositis sejuncta sunt[1]. Solum ,modo' *uno*, ,modo ut' *duobus* locis exstat[2]. Eun. V, 2, 51 ,ah volet, certo scio, Civis modo haec sit'. Heaut. V, 2, 28 ,Modo liceat vivere, est spes'. And. II, 4, 6 ,modo ut possim' (scil. velim apud me esse). Pho. I, 2, 9 ,Scio, modo ut tacere possis'. Deinde addamus Pho. III, 2, 41, ubi in enuntiatione secundaria verbum omissum est. — Ant., Non pudet vanitatis'? Dor. ,Minume, dum ob rem' (scil. ,fiat').

Ad extremum tractemus locum ex Attii Medea v. 395 (trag. rel. p. 158), qui invenitur Cic. de nat. deor. II, 35, 89:

,Ita dum interruptum credas nimbum volvier;
Dum quod sublime ventis expulsum rapi
Saxum aut procellis, vel globosos turbines
Existere ictos undis concursantibus:

---

[1] Ad. III, 2, 15 ,modo' conjungendum est cum ,meo'.

[2] In comoediis Plautinis ,modo' solum vel ,modo ut' aut ,modo ne' nusquam inveniuntur. vide Elste p. 31.

Nisi quas terrestris pontus strages conciet,
Aut forte Triton fuscina evertens specus
Supter radices penitus undanti in freto
Molem ex profundo saxeam ad coelum erigit'.

Luculente apparet, particulam ,dum' hoc loco longe aliud significare atque alias. Idcirco in codice Glogaviensi scriptum videmus ,num' — ,num', quam lectionem Heindorfius probat; Bouhierus autem ,tum' — ,tum' legit. Sed non est cur mutemus, nam, ut Corssenius explicat[1], ,dum' habendus est accusativus verbi ,dius', quae est forma vetusta verbi ,dies', et significat „den Tag, der Weile". Bis positum „dum' — ,dum' significat ,hoc' — ,illo tempore' id est ,modo' — ,modo', quae significatio uno nostro loco superest. Ex significatione indefinita orta est significatio relativa, ut in pronomine ,qui, quae, quod', quae postea sola usitata fuit. Nostro loco post alterum ,dum' verbum ,credas' est repetendum.

Differt ab nostro loco Catullianus ille 62, 45, qui saepius cum hoc confertur: ,Sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis est; Quom castum amisit polluto corpore florem, Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis'. De hoc loco Quinctilianus IX, 3, 16 ,dum', ait, prius significare ,quoad', sequens ,usque eo'. Quae versio cum sensum idoneum praebeat, ab omnibus fere grammaticis et interpretibus probatur[2]. Cui loco respondet paulo infra v. 56 ,sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit'.

Fortasse huc pertinet Plaut. Truc. II, 1, 21, ubi Handius, Kuehnerus, alii scribunt: ,dum habeat (scil. amator), dum amet' contra codicum lectionem ,dum habeat, tum amet', quam Elstius,[3] Spengelium secutus, retinet. Facile intelligitur, illam lectionem plane respondere loco Catulliano.

---

[1] Vide Corssen: Ueber Aussprache, Vokalismus und Betonung der lateinischen Sprache II, p. 149 et 284.

[2] Vide Hand Turs. II, p. 317. Kuehner l. c. II, p. 908 adn. J. Mueller, Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft II, p. 346, Forcellini sub articulo ,dum', alias.

[3] vide Elste p. 26. adn.

Ad extremum comparantes usum particulae ‚dum' Plautinum cum Terentiano et scaenicorum hoc statuemus:

Primum Plautus particulam ‚dum' notione „während" minus diligenter usurpavit, quam Terentius.

Nam hic nullo loco aliud tempus ac praesens admittit, ille quinque perfecti, duo futuri exempla habet. Unum perfectum ‚conixi' apud Sext. Turp. 173 (cf. p. 12) idem valere ac ‚dormio' supra diximus.

Deinde usus particulae ‚dum' notione „so lange als" apud utrumque poëtam idem est: Quod tempus verbi in enuntiatione principali exstat, idem enuntiationis secundariae verbum usurpat. Neque hoc mirum, quod tempus actionis utriusque commune est. Ubi tempora enuntiationum particula ‚dum' conjunctarum inter se differunt, de industria poëta ab usu vulgari recessit ut Heaut. V, 2, 34 (cf. p. 18), ubi in enuntiatione primaria imperfectum est positum de actione duranti subjecti, in enuntiatione temporali perfectum. Etiam And. III, 4, 18 (cf. p. 18) ‚potes nunc, dum animus irritatus est' non pugnat contra ea, quae diximus, quod participium illud melius adjectivum intellegitur; ita praesens respondet praesenti. Denique, ubi invenitur ‚dum licet' — ‚dum tempus est', similia (cf. p. 13 sq.) tempus non urgendum videtur, quod in usum locutionis abiit hoc enuntiatum.

Tum quod ad ‚dum' significatione „bis" attinet, apud Terentium semper praesentis indicativus invenitur; apud Plautum singulis locis futurum, futurum exactum, perfectum (cf. p. 16 adn.).

Postremo de particula ‚dum' cum conjunctivo conjuncta inter usum Plautinum et Terentianum discrepantia non exstat, nisi id moneas, apud Terentium binis locis ‚modo' solum et ‚modo ut' inveniri, apud Plautum nusquam (cf. p. 24).

VITA.

Guilelmus Otto Boettger natus sum die V mens. Oct. anni h. s. LVI in vico Saxoborussiae, qui Mutschau appellatur, patre Guilelmo, illius loci magistro, matre Friderica e gente Goelicke, quam ante paucos annos morte abreptam quam maxime maereo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis a patre imbutus inde ab anno h. s. LXIX gymnasium Zizense frequentavi, cujus praeceptores cum omnes tum Tauscher, virum doctissimum, directorem humanissimum, et Bech, virum carissimum, pia grataque memoria semper venerabor. Vere anni h. s. LXXVII maturitatis testimonio instructus Halas me contuli, ubi militari munere per duo prima semestria absoluto studiis operam dedi philologicis. Scholas audivi, quas habuerunt vv. ill. Credner, Dittenberger, Erdmann, Haym, Heydemann, Keil, Kramer, Schum, Thiele, Ulrici, Zacher. Proseminarii philologici exercitationibus sub auspiciis vv. ill. Dittenberger, Hiller, Keil per quinque semestria interfui. Praeterea Heydemann, ut societati archaeologicae quater sex menses, Thiele, ut per sex menses exercitationibus philosophicis, Zacher, ut societati theodiscae tria semestria interessem, benigne permiserunt. Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam maximas. Auctumno anni h. s. LXXXIII examine pro facultate docendi superato inde a vere anni insequentis per duos annos in oppido Thuringiae, quod dicitur Artern, scholae collectae praefui. Inde vere anni h. s. LXXXVI ad gymnasium Zizense reversus discipulos doceo.